BIBL. NAZIONALE
CENTRALE-FIRENZE
1 2 4
20

Digitized by Google





Digitized by Google



Digitized by Google

124
20

Quaestiones Quintilianeae.

Disputatio critica **F. Meisteri**, programmati academiae equestris Lignicensis praemissa.



a. MDCCCLX.



Digitized by Google

Digitized by Google

II
124
20

De fontibus Quintiliani quum animum induxerim diligentius quaerere, initium mihi ab iis locis scriptorum ad nostram aetatem servatorum, quos ipse in praeclaro opere de institutione oratoria laudavit, ducendum esse existimavi. In his enim quum ejus vestigia sequi atque, qua ratione ad eos accesserit, quanta judicii sinceritate eos legerit, qua denique religione reddiderit, ipsi dijudicare possimus, quanta ei habenda sit fides, aut ubi scripta commemorantur, quae temperum importunitate perierunt, aut ubi, ex quo fonte hauserit, non indicat, certius faciliusque colligere licebit. Quod ut recte possimus facere, hi ipsi loci diligentissime inter se comparandi sunt, ut, quod discrimen inter eos intercedat, utrum ab auctore, an a Quintiliano, an a librario quodam profectum sit clarius appareat: quod a plerisque interpretibus fere neglectum, ne a Spaldingio quidem, qui egregiam in explicando Quintiliano operam collocavit, pari ubique subtilitate quaesitum esse video.

Iam vero, quam sit operosa ea disputatio, quum omnes cujusque loci codicum varietates percensendae sint, quam difficilis, quum libri mscr. maxime inter se dissentiant et deterrimus quisque antiquissimis temporibus sit correctus, quam ambigua, quum aliquando etiam de iis, quae neque librorum auctoritate, neque acumine decerni possint, agendum sit, quamquam ipse non ignoro, tamen hanc ipsam comparationem nonnihil ad Quintiliani textum et comprobandum et restituendum conferre posse ratus, non dubitavi alacri animo rem suscipere, quae, id quod Quintilianus de grammatica profitetur, plus habet in recessu, quam fronte promittat.

Unde autem libentius incipiamus, quam ab Homero, quem tum quoque in scholis lectitatum et explicatum esse ipse dicit (I, 8, 5.), a quo non solum poesis summum fastigium acceperit (XII, 11, 26.), sed qui etiam omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dederit (X, 1, 46.), in quo nullius non artis aut opera perfecta aut certe non dubia vestigia reperiantur (XII, 11, 21.)?

Sed non mihi in animo est omnia ejus de poeta celeberrimo judicia repetere, quae non solum, quanta verecundia eum coluerit ipse, testantur, sed etiam accommodatissima videntur ad animos juvenum, quibus hoc opus destinatum erat, et arripiendos et permovendos. Neque meum est de omnibus locis, in quibus Homeri mentionem facit, disserere, sed de iis potissimum, in quibus ipsis poetae verbis utitur.

Ac primum quidem pauca de VIII, 4, 24. dicenda sunt, ubi, quum ex instrumentis quoque heroum magnitudinem aestimari posse exemplis e Vergilio et Cicerone sumtis comprobetur, verba:

Digitized by Google

Huc pertinet clipeus Ajacis et Pelias Achillis (Iliad. VII, 219. XVI, 140.) perperam inseruntur. Etenim, quum reliqua exempla non solum optime electa sint, sed etiam ipsa verba Vergilii et Ciceronis, e quibus hoc perspiciatur, repetantur, ea, quae praecedunt, durius videntur dicta esse atque incommode contextum orationis interrumpunt. Ea igitur, a docto aliquo librario primum in margine notata, mox in textum recepta, quamvis omnibus codicibus comprobentur, delenda esse suspicor.

Inde transeo ad locum difficillimum atque ex parte quidem depravatum, qui legitur XII, 10, 64. ubi Quintilianus de generibus dicendi disputans, Homerum eam dividendi rationem, quam plurimi auctores secuti sint, primum iniisse exemplis Menelai, Nestoris, Ulixis ostendit. Sunt autem verba haec: *Nam et Homerus brevem quidem cum jucunditate et propriam, id enim est non deerrare verbis, et carentem supervacuis eloquentiam Menelao dedit, quae sunt virtutes generis illius primi; et ex ore Nestoris dixit dulciorem melle profluere sermonem, qua certe delectatione nihil fingi majus potest; sed summam aggressus in Ulixe facundiam magnitudinem illi junxit; cui orationem nivibus hibernis et copia verborum et impetu parem tribuit.*

Non alienum videtur utriusque scriptoris verba inter se comparare. Menelaus describitur Iliad. III, 213—215. videmus igitur *brevem cum jucunditate eloquentiam* verbis

παῦρα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,

propriam, id enim est non deerrare verbis illi ἀφαμαρτοεπής, denique *carentem supervacuis* optime respondere ἐπιτροχάδην. Ita igitur Quintilianus ἐπιτροχάδην intellexit, nos potius Doederlinium sequemur, qui in Glossario II. p. 175. vulgari huic interpretationi repugnans, vehementer, tumultuose id significare ostendit, vocabuli originem ducens a verbo ἐπιτρέχειν, ἐπιδραμεῖν, ἐπιθορεῖν i. e. incursare, invehi.

Simplicissimum est, quod de Nestore dicit, nempe versus Iliad. I. 249.

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

in his: *et ex ore Nestoris dixit dulciorem melle profluere sermonem* paene ad verbum redditus est.

Sed libentissime versatur in describendo Ulixe, in quo Homerum oratoris simulacrum quoddam praeformasse putat. Etenim XI, 3, 158. eum *stetisse oculis in terram defixis immotoque sceptro* dicit, quae fere ex Iliad. III, 217. 218. translata sunt: hoc autem loco liberius agit, nam versus 222. 223.

καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆΐ γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

explicantur his: *orationem nivibus hibernis et copia verborum et impetu parem. Cum hoc igitur nemo mortalium contendet.*' Offendant fortasse, quae sequuntur: *hunc ut deum homines intuebuntur*, quippe quae in illa quidem descriptione desiderantur. Sumta autem sunt ex Odyss. VIII, 173. ibique dicuntur de viro, qui eloquentia omnium, qui audiunt, animos sibi devincit, ut facile exiguam ejus formam excusent: illum igitur versum Quintilianus in hanc Ulixis descriptionem paullo liberius quidem, sed aptissime transtulit.

Quae modo consideravimus, sine ulla offensione leguntur, jam vero in iis, quae sequuntur,

Digitized by Google

maxima codd. varietas invenitur, etenim Turic. Guelf. Flor. ea sic exhibent: *sed summa regressus est inutilae* (Guelf. *inutile*) *facundiam et magnitudinem illi vicisset.* Par. I. II. *sed ad summam regressus est in Ulyxe facundiam,* paullo post *illi vicisse,* Par. II. a sec. m. *illi junxit.* Camp. *sed ad summam regressus est in Ulixe facundiam et magnitudinem illi vicisse.* Jens. *sed si in mare gressus esset ut in Ulixe fac. et magn. illi junxisset.* Recepta primum in Badii editione (Parisiis 1520.) reperitur haec: *sed summam aggressus, ut in Ulysse facundiam, magnitudinem illi junxit.* Buttmannus quidem *ut* delevit et recte pro *Ulysse Ulixe* scripsit: sed ne ita quidem locum prorsus sanatum esse arbitror, equidem *et* ante *magnitudinem* restituerim et ex corrupto illo optimorum librorum *vicisset* eruendum esse censeo *ascivit et.*

Quae sequuntur, Turic. Flor. Guelf. Par. I. II. ita exhibent: *cum orationi similibus et copia,* Camp. *cum oratione simili nimbus e. c.* Goth. *cum orationi n. h. e. c.* alii receptae favent, quam ut sinceram esse putem, tantum abest, ut servata quam maxime optimorum librorum scriptura legi malim: *vim orationi similem nivibus hibernis et copia verborum et* (ita Buttmannus pro *atque*) *impetu tribuit,* omisso igitur verbo *parem,* quod in textum receptum est, postquam *similem* exeidit: ut totus locus ita videatur scribendus esse: *sed summam aggressus in Ulixe facundiam et magnitudinem illi ascivit et vim orationi similem nivibus hibernis et copia verborum et impetu tribuit.*

Conferre liceat simillimum locum apud Plinium epist. I, 20. qui non solum iisdem Homeri exemplis utitur, sed etiam de Pericle ita ut Quintilianus in ea, quae sequitur, paragrapho disserit, ut facile hunc ei locum non ignotum fuisse suspicari possis. Ibi autem §. 22. ita pergit: „Nec vero, cum haec dico, illum Homericum *ἀμετροεπῆ* probo, sed hunc

καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν·

non quia non et ille mihi validissime placeat,

παῦρα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως·

si tamen detur electio, illam orationem similem nivibus hibernis, id est crebram et adsiduam et largam, postremo divinam et caelestem, volo."

Praeterea conferenda sunt, quae Gellius (noct. Attic. VI, 14, 7.) de eadem re scribit: „Sed ea ipsa genera dicendi jam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus: magnificum in Ulixe et ubertum, subtile in Menelao et cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore."

Reliqua brevissime absolvi possunt; etenim V, 12, 14. referendum est ad Iliad. IV, 299. VIII, 3. 84. ad Odyss. XI, 523. VIII, 4, 21. 22. ad Iliad. III, 139—165. IX, 3, 57. ad Iliad. II, 100—108. X, 1, 46. ad Iliad. XXI, 196. 197.

Inde jam ad **Hesiodum** transimus, cujus mentio facta est I, 1, 15. et V, 11, 19. In his locis non tam ex verbis, quam e re non mediocres difficultates enascuntur, de quibus, quum novi quidquam afferre non possim, prorsus tacere malim.

Pindari duo fragmenta, quae nusquam alibi reperiuntur, a Quintiliano memoriae prodita sunt. Alterum invenitur VIII, 6, 71. (apud Boeckhium fr. 22. III. II. p. 566.), cum quo de argumento conferenda sunt Nem. IV, 26. Isthm. V, 29. Quod Quintilianus haec legi dicit in libro, quem

Pindarus inscripserit ὕμνους, quod igitur ipsum suos libros digessisse putavit, hoc Boeckhius (Praef. Schol. II. p. X.) latinorum scriptorum inscitiae condonandum esse contendit, quum Pindari carmina ab Aristarcho disposita esse constet.

Alterum, X, 1, 109. (apud Boeckhium fr. 288. II. II. p. 685.) *Non enim pluvias aquas colligit, sed vivo gurgite exundat*, lepidissime a Quintiliano ad Ciceronem translatum est. Prorsus autem mihi persuasit vir doctissimus haec non posse referri ad Nem. X. init. quae fuit Capperonnerii aliorumque sententia. Ibi quidem pluviae aquae commemorantur, quibus alius indigeat, quum alius vento, alius vero hymnis indigere videatur: alia autem nulla inter utrumque locum existit consensio, ideoque fragmentum esse censebimus, quod aliunde non est notum.

Euripidis quoque versum (Hec. 816.) interpretes ad I, 12, 18. laudari arbitrantur, ubi oratio *regina rerum* appellatur; conferendum cum his, quod apud Ciceronem de orat. II, 44, 187. legitur: *flexanima atque omnium regina rerum;* his etiam minus respondere graeca verba *πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην* non est difficile ad intelligendum. Magnopere etiam offenderet, quod Cicero Euripidem *bonum poetam*, Quintilianus autem *non ignobilem tragicum* nominaret. Haec autem non tam Euripidi, quam Pacuvio tribuenda esse postea videbimus.

Aristophanes non raro commemoratur, saepius (II. 16, 19. XII, 10, 24. 65.) ejus judicium de Periclis summu in dicendo vi atque facultate in medium profertur, ita tamen, ut res, tanquam notissima iis, qui legant, breviter tantum indicetur atque modo XII, 10, 65. Aristophanes auctor ejus judicii nominetur. Conf. de hac re Acharn. 530. 531. quo loco Scholiasta paucos Eupolidis de eodem Pericle versus laudat, quos Quintiliano notos fuisse e X, 1, 82. manifestum est. Verba ipsa notissima et saepius a latinis scriptoribus repetita sunt, apud Ciceronem Brut. 9, 38. 15, 59. de orat. III, 34, 138. graeca verba inveniuntur apud Plinium epist. I, 20, 17.

Praeterea conf. ad I, 10, 18. Equit. 188. 189. Nub. 193. Ran. 728. ad II, 16, 3. Nub. 98. 99. 112—118. 889—1104.

Saepissime laudat Platonem atque ex tota laudandi ratione non solum optime in scriptis praeclari philosophi eum versatum esse, sed etiam summa diligentia omnia ejus opera legisse atque inter se comparasse clare perspicitur: Namque et II, 15, 24. eos vituperat, qui „pauca e Platone a prioribus imperite excerpta legere contenti neque hoc totum neque alia ejus volumina evolvant atque in maximum errorem incidant,“ et id, quod monet II, 15, 5. quam diligenter non solum legerit ipse, sed etiam ab adolescentibus legi velit, argumento esse poterit.

De paucis tantum locis copiosius disputandum erit: etenim III, 1, 11. offendit interpretes, quod de Theodoro Byzantio disserens, his verbis usus est: *ex his et ipse, quos Plato appellat λογοδαιδάλους*. Negant enim plurali hic locum esse, quoniam apud Platonem in Phaedro p. 266. E. singularis reperiatur et solus Theodorus intelligendus sit. In libris manu scriptis nihil est auxilii, quippe in quibus haec sola scripturae varietas sit, quod Turic. et Ambr. I. aliique *logodaedalos* latinis literis reddunt. Neque persuasit mihi Spaldingius, qui aliquot nomina apud Platonem excidisse putat. Dicat aliquis Quintilianum memoriter laudantem memoria lapsum esse: sed ne hoc quidem mihi necessarium esse videtur. Equidem potius haec et per se apte dicta esse et apte cum Platone

Digitized by Google

conciliari posse contenderim. Etenim Plato, quamquam solum Theodorum λογοδαίδαλον appellat, tamen, quia paullo post ad alios transit, qui in eodem fere numero fuerunt, non huic uni tantum, sed compluribus hanc dignitatem videtur tribuisse; jure igitur Quintilianus ita, ut dixit, dicere potuit. Spaldingii autem acerrimo judicio in iis, quae ad III, 1, 10. notavit, plane assentio, qui egregie Quintilianum errasse ostendit, quod Platonis Ἐλεατικὸν Παλαμήδην (Phaedr. p. 261. D.) Alcidamantem, Elaea, urbe Aeoliae, oriundum, Gorgiae discipulum, esse putet, quum Zenonem potius intelligendum esse e Diogene Laertio perspiciatur. Complura praeterea e Phaedro repetita sunt et conferenda videntur p. 261. ad II, 15, 29. 31. p. 261. A. ad II, 21, 4. p. 274. 275. ad XI, 2, 9.

Sophistes semel tantum III, 4, 10. laudatur, atque unum verbum et graece et latine inde refertur (p. 222.).

Ad Symposium p. 218. 219. comparandum est VIII, 4, 23. ubi de ratiocinatione disserens, optime hac Platonis narratione usus est.

Denique, ut reliqua omittam, transeo ad VIII, 6, 64. ubi Quintilianus Dionysium Halic. p. 223. (ed. Goeller.) et Diogenem Laert. III, 28. secutus, Platonem compositionis diligentissimum fuisse lepidissimo exemplo demonstrat. Agit enim de collocatione verborum *in Piraeum se descendisse*, quae in ceris Platonis plurimis modis scripta inventa sunt. Recte animadverterunt v. d. vestigia complurium antiquorum librorum sane excusorum, in quibus ea graece post *alio* vel *aliter*, omisso autem *ceris*, inserta sunt, minime esse sequenda. Idem statuendum esse de verbis graecis III, 1, 14. rectissime monuit Spaldingius, quae, num recte retinuerit Bonnellus, valde dubitaverim. Non minus mihi probantur, quae Spaldingius IX, 3, 57. contra Badium monet, qui „imperitorum culpa hic Graeca, quae ipse posuerit Quintilianus, intercidisse" existimat. In hoc enim videtur sibi constare Quintilianus, quod, ubicunque salvo sensu fieri potest, latinis verbis utitur, graecis autem in iis tantum exemplis, quae hanc ipsam linguam flagitant, veluti IX, 4, 63. 73. 78. Deinde autem ejusdem videtur esse consuetudo, ut, quae dixerit graece, non latinis verbis interpretetur, cf. IV, 2, 131. Ex utraque igitur parte ii, de quibus modo disputavimus, loci laborent, nisi cum Spaldingio aliisque graecam interpretationem delendam esse censeamus. Jam, ut ad eum, unde egressi sumus, locum revertamur, in his quidem Platonis verbis non est, quod offendat, eo magis autem in iis, quae proxime sequuntur: *quam quod eum quoque maxime facere experiretur; quam* Regio debetur, praeterea in Turic. et Flor. *faceret* reperitur, in Ambr. I. *faceret* ut *experiretur*. Spaldingius quidem locum aperte corruptum ita conatus est restituere: *quam, quod cum quo maxime faceret, experiretur;* Zumptius, quem sequitur Bonnellus, ita, ut supra scripsimus, hanc inesse ratus sententiam: „neque ad aliam rem Plato illa quatuor verba plurimis modis collocavit, quam quod experiretur, ordinem quoque verborum, non solum delectum, maxime pertinere ad orationis elegantiam." Quamquam proba ita sententia enascitur, tamen molestiorem atque impeditiorem hanc dicendi rationem esse judico. Poteramus sane tota hac enunciatione carere, sed, quandoquidem addita est, explicanda videtur. Nolo equidem novum restituendi loci periculum facere, sententiam autem hanc inesse arbitror: neque alia de causa Plato illa verba plurimis modis scripsit, nisi ut, quod cum quoque conjunctum sermonem maxime faceret numerosum, experiretur.

Digitized by Google

Aristoteles haud raro laudatur ac primum quidem I, 6, 28. ex ejus libro *περὶ ἑρμηνείας* 2, 3. (de quo loco conferendus est Cic. Top. 8, 35.), deinde II, 15, 10. ex libro, qui inscriptus est *Θεοδέκτεια*, pauca verba referuntur; plurima vero ex Rhetoricis, aut ad verbum in latinam linguam translata, aut etiam liberius composita, repetuntur. Hoc autem summa cum diligentia factum est, ut facile appareat Quintilianum Aristotelis admodum gnarum fuisse. Complures loci difficiliores acumen interpretum evocaverunt, nisi silentio eos praeterire tutius visum est. At nunc post egregia studia Spaldingii ad hunc unum revocare sufficiat; equidem me ne in uno quidem loco melius quidquam invenire potuisse libere profiteor. Graeca verba VIII, 3, 37. e Rhet. III, 7, 9. liberius etiam V, 10, 17. e Rhet. II, 16. sumta sunt, ubi praeeunte Victorio (ad Aristot. Rhet. l. II. p. 419.) rectissime Spaldingius Quintilianum memoriter citasse judicat, quum et omiserit quaedam et alia addiderit, quae neque hoc neque alio loco ab Aristotele disputata sint.

Denique IX, 4, 88. in his verbis: *herous, qui est idem dactylus, Aristoteli amplior, jambus* ***humanior*** *videatur*, sumtis ex Rhet. III, 8, 5. *ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικὸς καὶ ἁρμονίας δεόμενος, ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν·* haud scio an rectissime a Pithoeo pro *humanior*, quod vix explicari possit, *humilior* scriptum sit: quae quidem conjectura, a Spaldingio probata, non certo cuidam Aristotelis verbo, sed toti verborum sententiae egregie respondere videtur.

Scriptores rerum quod in hoc de institutione oratoria opere raro laudantur, neque mirabimur, neque inde Quintilianum minus eos cognitos habuisse conjiciemus. **Thucydidis** laudat quaedam verba graece IX, 4, 78. quibus probet prosae orationis scriptoribus, quamvis diligentissimie compositionis, hoc aliquando accidere, ut in soluta oratione vincta utantur. v. I. 8.

Praeter Thucydidem solus **Xenophon** IX, 2, 36. ejusque celeberrimum Voluptatis et Virtutis certamen (Mem. II, 1, 21—34.) commemoratur.

Graecorum oratorum tres potissimum nominantur: **Isocrates**, **Aeschines**, **Demosthenes**; de quibus, quamvis saepissime commemorentur, breviter licet disputare. Saepius igitur (II, 15, 3. 4. 33. III, 4, 11. III, 5, 18.) laudatur ars quaedam, Isocratis nomine inscripta, quae utrum jure ei adscribatur, necne, Quintilianus in medio relinquit; quin ex ipso fonte hauserit, vix potest dubium esse.

Ex Aeschinis orat. c. Ctesiph. p. 83. nonnulla III, 6, 3. memoriter videntur laudata esse.

E Demosthene plura repetuntur graece: IV, 2, 131. ex orat. d. cor. p. 230. IX, 4, 63. 73. ex initio orationis d. cor. atque ex Philipp III. p. 115. quae non satis accurate citantur a Rufino de compos. et de metris oratorum (Vol. V. p. 185. edit. Cicer. Orell.), quum scriptum sit *et πάλιν ὑμῖν* pro *καὶ πᾶσιν ὑμῖν*. Totum autem hunc locum, admodum difficilem ad explicandum, ex optimorum librorum fide ita scribi malim: *Proximam clausulis diligentiam postulant initia, nam et in haec intentus auditor est. Sed eorum facilior ratio est, non enim cohaerent* ***praecedentibus nec serviunt, novum exordium sumunt, quum ea, quamlibet sit composita, ipsam gratiam perdet,*** *si ad eam rupta via venerimus.*

Comparatio igitur instituitur inter initia et clausulas atque, quum in initiis hoc solum respiciendum sit, ut per se sint bona et probabilia, in clausulis ea accedit difficultas, quod arctissime cohaerent cum praecedentibus, ut, si minus probanda fuerint haec, ipsae gravissimam jacturam faciant.

Digitized by Google

Hoc duobus exemplis Ciceronis et Demosthenis comprobatur; nam, quamquam finis utriusque idem est, tamen gravis et severa judicatur compositio Demosthenis, Ciceronis autem reprehenditur; atque reprehensionis gravissima causa in iis, quae antecedunt, posita est, altera sane in eo, quod bini pedes hic singulis verbis continentur, id quod cum in carminibus, licet quaternae tantum syllabae nectantur, permolle est, tum in oratione valde displicet. In iis, quae sequuntur, ad Spaldingii fere scribendi rationem omisso tamen *ut* post *cum* revertor: *Quo fit, ut Demosthenis c. q. s.* quae lectio Flor. fere commendatur, in quo *nam cum quo fit* legitur. Ceterum eandem hanc Demosthenis severitatem notatam esse censeo V, 14, 32. ubi ex optimorum librorum vestigiis legendum esse *nonne apud ipsum Demosthenem paucissima hujus severitatis reperiuntur?* suspicatus sum (Z. f. A. W. 1856. p. 126.).

In latinum sermonem plura magis minusve libere translata sunt, etenim III, 8, 5. sumtum ex orat. de Halon. 2. V, 14, 4. ex orat. in Androt. p. 595. IX, 3, 55. ex orat. de cor. p. 288. In verbis, quae h. l. praemittuntur, his: *Ejus exemplum ex Graeco notissimo transferatur* rectissime mihi videtur judicare Spaldingius, qui maluit scribi *notissimum*. Etenim verba *ex Graeco* ubicunque inveniuntur, I, 6, 3. 13. 87. III, 4, 12. VIII, 3, 33. IX, 3, 17. semper eadem ratione usurpantur atque magnopere dubitandum est, num h. l. ad *notissimo* recte adjiciatur *Graeco*.

Jam ad Romanos transeundum est primumque ea, quae e poetis sumta sunt, consideranda. Ennii quidem non ita raro mentio facta est. Diligentissime, quidquid huc spectat, a Joh. Vahlenio (Ennianae poesis reliquiae Lipsiae 1854.) etiam e Quintiliano collectum est; eos locos, quos ex hoc solo scriptore novimus, asterisco notavi. Ex annalium reliquiis hi versus laudantur:

v. 70. 73.	apud Qu. I, 6, 12.	v. 186.	apud Qu. VII, 9, 7.
— 129.*	— — I, 5, 12.	— 222.	— — IX, 4, 115.
— 160.	— — VIII, 6, 9.	— 304.	— — XI, 3, 31.
— 178.	— — VI, 3, 86.	— 309.	— — II, 15, 4.
— 184.	— — I, 4, 15.	— 472.	— — II, 17, 24.

deinde e tragoediarum reliquiis:

v. 43.	apud Qu. VIII, 3, 31,	v. 408.*	apud Qu. IX, 3, 15.
— 127. 184.	— — I, 6, 40.	— 312.	— — XI, 3, 115.
— 280. 281.	— — V, 10, 84.	— 420.	— — I, 4, 15.

ex incertis saturarum libris:

fr. III.* apud Qu. IX, 2, 36.

denique ex incertis libris:

v. 11. apud Qu. I, 6, 40.

Pauca tantum sunt, quae his adjiciam. Namque VI, 3, 86. legitur *causas*, apud Ennium *oras*; VIII, 6, 9. *equum*, apud Ennium *equos*, neque, quamvis reperiantur, qui aliter statuant, causa est, cur ab optimorum librorum scriptura recedamus. Hanc ipsam quam maxime servandam esse statuerim etiam I, 5, 12. in his verbis: *At in eadem vitii geminatione Mettioeo Fufettioeo*

Digitized by Google

dicens Ennius poetico jure defenditur. Nam, quum Ambr. I. ita haec verba exhibeat *metti* .. (*eo et*) *fuvetio* (*eo*) — post *metti* una litera abrasa est; ea autem, quae uncis inclusi, ab altera manu addita sunt — nescio an proxime ad verum accedamus, si cum G. Hermanno (apud Meyerum) scribimus *Metioeo Fufetioeo*, scilicet extremam hanc hexametri esse partem statuentes; Meyerus, quem sequitur Bonuellus, maluit scribi *Mettioeo Fufettioeo*, Vahlenius suspicatus est *Mettoi Fubettoi*.

Pacuvii nonnulla verba laudantur I, 5, 67. apud Ribbeckium (Tragicorum latinorum reliquiae Lipsiae 1852.) ex incertis fabulis fr. XLIV. Etiam ea, de quibus supra p. 6. disputavimus, I, 12, 18. quin recte a Ribbeckio Hermionae Pacuvii (fr. XIV.) tributa sint, non potest dubium esse.

L. Varii Rufi complura verba repetuntur III, 8, 45. de quibus cf. Ribbeckium l. l. p. 195.

Denique videtur operae pretium esse, omnes eos locos colligere, in quibus fragmenta tragicorum latinorum, quorum auctores ignoramus, commemorantur. Conferendum igitur est:

ad I, 5, 21.	fr. CXXXI.*	ad VIII, 6, 10.	fr. XXXV.*
— VI, 1, 52.	— CXLVI.*	— — — 26.	— LXXIX.*
— VI, 3, 96.	— XLVII.	— — — 30.	— XXVIII.
— VIII. 3, 26.	— CXXXII.*	— — — 34.	— CXXVIII.*
— — — 31.	— CXXIX.*	— IX, 3, 15.	— LXXXIX.*
— — — 48. }	— LXXV.*	— — — 57.	— LIV.
— — 6, 15. }		— — 4, 140.	— LV.
— — 5, 6.	— CIX.		

T. Lucretii Cari de rerum natura citantur duo loci, de quorum altero tantum III, 1, 4. paucis videtur disputandum esse; bis apud Lucretium legitur I, 936—938. et IV, 11—13. Jam vero, quod hic v. 936. incipit a *sed*, v. 11. a *nam*, apud Quintilianum neutrum legitur, sed *ac* primum locum obtinet: hoc equidem nullius momenti esse crediderim, gravius vero, quod in tertio versu apud Quintilianum *aspirant*, apud Lucretium *contingunt* scriptum est, ita tamen, ut boni libri idem *aspirant* exhibeant, in veteribus autem Quintiliani editionibus etiam *contingunt* reperiatur. Neque improbanda videtur Spaldingii sententia, qui utrumque in diversis editionibus posuisse Lucretium existimat, ut Quintiliano jam ipsi eligendi, quod maxime placeret, data fuerit optio. At si forte hoc audacius esse videatur, Quintilianum h. l. memoriter laudasse et verbum aptissimum elegisse existimabimus, quod, ut Spaldingii verbis utar, et ipsum aliquem vetustatis colorem habet.

De iis, quae e Persio, e Terentio, e Medea Senecae commemorantur, non est, quod moneam. Nam etiamsi ea potissimum, quae sumta sunt e Terentio, magnopere differant, tamen nullam Quintiliani mutandi causam esse puto, qui ea, quae prisco atque minus usitato sermone ceciuerat poeta, verbis suae aetati aptioribus reddere maluit.

Plurima vero laudantur Vergilii; etenim fere centies et quinquagies aut singula ejus verba, aut toti etiam complures versus repetuntur: atque hoc ita videmus factum esse, ut summae diligentiae laude dignus esse videatur Quintilianus. Neque huic meo judicio ii loci repugnant, in quibus scriptoris minus interest poetae verba ipsa reddere, ubi rhythmica forma sublata verborumque ordine

Digitized by Google

mutato, omissis etiam, quae non necessaria esse viderentur, Vergilii verbis usus probaret, quod probandum esset. Ex eo numero sunt I, 5, 35. sumtum ex Ecl. VI, 62. 63. V, 9, 15. e Georg. I, 431. V, 11, 30. ex Ecl. I, 23. VIII, 4, 25. ex Aen. V, 265. VIII, 6, 18. ex Aen. VI, 19. VIII, 6, 40. ex Aen. XI, 681. et Georg. III, 364. X, 1, 56. ex Ecl. X, 50. XII, prooem. 4. ex Aen. V, 9. XII. 10, 61. (cf. VIII, 6, 11.) ex Aen. VIII, 728.

Ut certe uno exemplo, quemadmodum hoc factum sit, ostendam, eligo II, 13, 8. ubi notissimus versus (Aen. III, 436.)

Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Praedicam et repetens iterumque iterumque monebo.

insertus est, ita tamen, ut, quamvis maxime poetae verbis pepercerit scriptor, ea tantum retinuerit, quibus apte licuit uti. Simili modo hunc versum solutum reddidit C. Julius Victor c. XXV. p. 264, 11.

Restat, ut eos locos intueamur paucos, in quibus uterque scriptor inter se differt. Verissime autem de hac re judicabimus, si utrique, quod cujusque libri optimi commendant, restituemus. Quamquam sunt etiam codices quidam Quintiliani aperte e Vergilio correcti, qui plane nullam fidem merentur. Itaque IX, 2, 10. in his verbis: *et quisquam numen Junonis adoret?* quamvis, quod apud Vergilium (Aen. I, 48.) legitur *adorat*, optimorum codicum auctoritate nitatur, haec autem certa atque definita loquendi ratio poetae videatur accommodatissima esse, nihil equidem contra bonos libros mutaverim. Neque dubito, quin IX, 2, 9. rectissime legatur et retineatur: *Heu quae me tellus*, quamvis Vergilius in Aen. II, 69. *nunc* scripserit. Neque quisquam reprehendet, quod IX, 3, 14. retinemus *jactat*, quum in Aen. XI, 406. scribatur *fingit;* IX, 2, 49. *caedis*, ubi Aen. XI, 384. *stragis;* IX, 3, 15. *tremens* pro *fremens* Aen. VII, 787. VIII, 6, 46. *veteris fagi* pro *veteres fagos* Ecl. IX, 9. VIII, 6, 45. *spatio* pro *spatiis* Georg. II, 541. IX, 3, 20. *haud secus* pro *non secus* Georg. III, 346.

Ejusmodi enim sunt, quae aliter hic atque illic leguntur, ii autem, quos modo enumeravi, loci fere soli sunt, in quibus omnino aliquod discrimen invenitur. At neque VIII, 3, 73. neque VIII, 6, 10. in locis ex Aeneid. IV, 143. 144. et II, 307. citatis, quidquam mutandum esse arbitror.

Ambigua antiquissimorum Vergilii exemplarium videtur lectio fuisse in Ecl. IV, 62. Optime enim placet, quod egregie Ladevicus interpretatus est et novissimus interpres O. Ribbeckius probavit:

— *Cui non risere parentes,*
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Apud Quintilianum autem IX, 3, 8. fieri non potest, quin cum Bonnello scribamus: *Qui non risere parenti.* Neque enim hunc in notissimo loco quidquam mutaturum fuisse sed certe aliqua, nescio an deteriorum librorum auctoritate adjutum ita scripsisse statuemus.

De lepidissimo in Cimbrum facto epigrammate Vergilii (VIII, 3, 28.) non habeo, quod dicam.

Denique, ut hoc quoque addam, nescio an dissentire oporteat a Bonnello, qui, quum codicem Bambergensem potissimum secutus poetam plerumque nominaverit *Vergilium*, tamen VIII, 2, 9. *Virgilium* et I, 3, 13. *Virgilianum* tueri maluerit. Ejusdem generis videtur esse, quod nimis reli-

Digitized by Google

giose codices secutus VIII, 6, 52. (Ecl. III, 105.) IX, 4, 75. 99. *tres* retinuit, quum idem vocabulum, accusativo casu positum, ubicunque legitur, secundum optimos codices scripserit *tris*.

Ovidii duo tantum loci cum Quintiliano minus congruunt, alter VIII, 3, 47. repetitus e Metam. I, 502. ubi *quaeque* pro *siqua* legitur, a Spaldingio in suspicionem vocatus, uncisque inclusus; in altero IX, 3, 48. qui e Metam. V, 18. sumtus est, *ponti* pro *ponto* legitur.

Praeterea VI, 3, 96. ejus liber in malos poetas, quem ex tetrastichon Macri carmine composuerat, deinde VIII, 5, 6. unus versus ex Medea (cf. Ribbeckium l. l. p. 197.), denique IX, 3, 70. festivus ejus versus commemoratur.

Catulli sex loci citantur, in duobus tantum (I, 5, 8. IX, 3, 16.) varia scriptura invenitur, quam silentio praeterire possumus.

Admodum volutatus est in carminibus Horatii eoque saepius, ut in epist. ad Tryph. 2. I, 5, 6. X, 1, 24. 61. 63. 94. ita utitur, ut hunc ei prae ceteris carum fuisse facile liceat cognoscere. Ut cetera omittam, in quibus nulla fere varietas lectionis est, ut taceam de VIII, 6, 17. ubi Furii Bibaculi versus, quem e sat. II, 5, 42. novimus, laudatur, ut praeteream VIII, 6, 44. ubi, quomodo carmen lib. I. XIV. intelligendum sit, paucis explicatur, ad V, 11, 20. me converto, ubi ex Ambr. I. Flor. Turic. scribendum esse

Quod dixit vulpes aegroto cauta leoni

inter interpretes constat. Sed quum apud Horatium (epist. I, 1, 72.) legeretur

Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit

factum est, ut in deterioribus codicibus hic versus plane ad illum corrigeretur, post *leoni* autem adderetur *etc*, nimirum audacius videbatur librariis, quod in textu deerat, *respondit* addere ideoque illud, quo nihil est absurdius, *etc* adjiciebant. At, quum non sit nostrum scriptorem corrigere, id, quod optimi libri exhibent, tuebimur, hoc autem discrimen ita optime explicari putabimus, ut h. l. minus accurate poetam eum secutum esse statuamus.

Complura Quintiliani verba, quae VIII, 3, 48. et VIII, 6, 15. leguntur, miro modo interpretes ex Originibus Catonis sumta esse contendunt. Etenim, quum apud Gellium (noct. Attic. III, 7.), qui Catonis fragmentum aliquod servavit, *verruca* quidem inveniatur, reliqua verba desint, qui fieri potuerit, ut haec eadem haberentur, equidem non dispicio. Poeticum potius fragmentum est atque merito a Ribbeckio (l. l. ex incertis incertorum fabulis fr. LXXV.) receptum.

De Livio et Sallustio non est, quod moneamus, quippe cum quibus pauca, quae inde repetuntur, fere congruant.

Minus mihi probantur, quae e P. Rutilio Lupo laudavit, non quo in iis quidquam obscurum aut difficile sit, sed quod parum accurate, quum auctores exemplorum laudatorum appellare debuerit, ad ipsum Rutilium relegat. Nam IX, 3, 36. fragmentum Charisii, IX, 3, 65. Hyperidis, IX, 3, 84. Demetrii Phalerei laudari Rutilius ipse (I, 10. I, 4. II, 16.) dicit; reliqua autem, unde hauserit, quae IX, 3, 75. 89. e l. II, 12. II, 16. repetuntur, non addit.

Longe autem difficillima de Cicerone erit disputatio, ex quo velut e latissimo flumine in

Digitized by Google

rhetores posterioris temporis non solum verba, sed etiam tota enunciata fluxerunt plurima, cujus vestigia persequi omnibus honorificentissimum visum est.

Neque hoc mirum. Quintilianus, ubicunque de eo loquitur, summis laudibus eum effert, coelestem eum in dicendo virum appellat, quin divine eum omnia persecutum esse dicit. Eundem praecipuum lumen sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque ejus dedisse contendit (III, 1, 20) „unicum apud nos specimen orandi docendique oratorias artes.“

Jam vero, quum in eo lectitando et imitando et ediscendo tantopere versatus sit, et versari discipulos voluerit, ut dicat profecisse, cui Cicero valde placeat (X, 1, 112.), fieri non potuit, quin permulta memoriter sciret et repeteret: plurima quidem ita, ut cum Cicerone congruerent, nonnulla etiam, quae ab eo recederent. In his ipsis autem plura genera discernimus, quum in aliis locis aperte erraverit, in aliis parum accurate recordatus sit, oratorem autem semper, etiam in minimis, religiosa quadam fide sequi noluerit, denique quaedam etiam consulto mutaverit. Neque vero omnes ex ordine locos pertractare licet, qui prope infinitus est labor, sed ratione indicata exemplis, quantum poterimus aptissime electis, sententiam nostram confirmare conabimur.

De libris manuscriptis hoc in universum praemonemus plurimos e Cicerone aperte esse correctos, optimum quemque saepe diversam quidem, sed veram vel probabilem scripturam praebere: in quo numero habendos esse Bamb. Ambr. I. (II.) Turic. Flor. Guelf. Camp. Goth. Voss. I. II. III. Par. I. II. (III.) diligentissima multorum locorum comparatio docet.

Primum igitur dicendum videtur de VI, 3, 67. ubi Quintilianus praeclarum illud Crassi (Cic. de orat. II, 66.) *ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut, in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteret*, quo superbia atque insolentia viri, etiam aliis Ciceronis et Sallustii locis notata, carpitur, καθ' ὑπερβολὴν ea dici arbitratus, sic reddit: *quale refert Cicero de homine praelongo, caput eum ad fornicem Fabium offendisse.* Hoc igitur loco gravissimum ejus errorem deprehendimus. Obiter ea, quae Cicero dicit, meminerat, non meminit auctoris joci, non ejus, qui perstringitur, sed id ipsum oblitus est, lepide hoc esse dictum. Quare ingeniosa quidem, sed nescio an improbanda Spaldingii est suspicio „*Crassi* ante *refert*, quod tam nude latine non possit dici, excidisse, quia alioqui non verisimile sit, adeo immemorem loci Ciceroniani fuisse, quum haec scriberet, Quintilianum, ut Ciceronem joci auctorem crederet“ Neque scribendum cum Goth. et Voss. II. *demisisse* pro *offendisse*, quae scriptura non minus quam Spaldingii conjectura eo consilio e Cicerone deprompta videtur esse, ut Quintiliani negligentia quaedam, quam inesse non negabimus, tollatur vel certe leniatur.

Idem fere judicandum est de XI, 3, 58. *Nam Cicero illos ex Lycia et Caria rhetoras paene cantare in epilogis dixit.* Etenim, quum apud Cic. orat. 18, 58. *e Phrygia et Caria* legatur, si optimis codicibus fidem habemus, etiam h. l. Quintilianus errasse videtur, pro *Phrygia* reponens *Lycia*. Simplicissima ea res: difficilius est judicatu de verbis, quae proxime antecedunt: *ludorum talarium licentia*, quae equidem nondum satis explicata esse puto. Ingeniosa quidem Pithoei vel Danielis conjectura, pro his *Lyciorum et Carum* suadentis, neque minus ingeniosum id, quod addit Spaldingius, *Lycia* librario cuidam deberi; Quintilianum, quamquam memoria lapsum, voluisse scribere

Digitized by Google

Lydia, ut certe scribendum sit *Lydorum et Carum*, quod vel propius ad codicum vestigia accedat. Sed vehementer displicet, quod Lydi et Cares ita bis commemorantur. Quare equidem de *circulatoria licentia* cogitavi, cogitavi etiam *Lydorum et Carum* scribendum esse, ita tamen, ut verba *Nam Cicero — dixit* tanquam interpretamentum uncis includerentur, sed neutrum mihi ipsi admodum probatur.

Alterum igitur genus eorum est locorum, in quibus parum accurate citavit scriptor, quum unum aliquod verbum aut complura, quae vel notissima erant, laudaverit et saepius etiam repetiverit. Ita legimus IX, 2, 29. *Illa adhuc audaciora et majorum (ut Cicero existimat) laterum*, quum apud illum (orat. 25, 85.) non *majorum*, sed *valentiorum* scribatur. Ita IX, 3, 30. *concursus bonorum omnium*, apud Ciceronem (in Catil. I, 1, 1.) *consensus*. Ejusdem generis videtur esse, quod XI, 3, 169. sine ulla scripturae varietate legitur *Quin compescitis*, quum apud Cicer. (p. Rab. perd. 6, 18.) legatur *quin continetis* idque eo magis offendit, quoniam Quintilianus hanc vocem quodammodo vituperans modum excedere dicit. Ceterum totus hic locus exemplis undique sumtis et memoriter laudatis refertus est. Etenim, quum §. 172. scriptum sit: *Me miserum, me infelicem, et Quid respondebo liberis meis? et Revocare tu me in patriam potuisti, Milo, per hos; ego te in eadem patria per eosdem retinere non potero?* quis est, qoi Quintilianum ipsos Ciceronis locos inspexisse et religiose oratoris vestigia secutum esse censeat? An quem offendat, quod apud Ciceronem ipsum (p. Mil. 37, 102.) legitur: *o me miserum, o me infelicem!* (quod et ipsum fere legitur VI, 1, 24.), atque in reliquis quoque non plena existit consensio?

Neque jam offendet, quod IX, 2, 38. legimus: *Vos enim jam ego, Albani tumuli atque luci;* apud Cic. p. Mil. 31, 85. *Vos enim jam, Albani tumuli atque luci.* Quid ergo? an *ego* delendnm videtur apud Quintilianum, quoniam illic deest? Quid? quod plane cum Ciceroøe congruunt, quae XI, 1, 34. leguntur? Quid porro faciendnm XI, 3, 172. ubi reperitur: *Vos, Albani tumuli;* XI, 3, 167. ubi: *Vos, Albani tumuli atque luci?* Extremae certe temeritatis esset, si vel unam literam mutare vellemus.

At vero difficilius ad judicandum III, 11, 9. *quod — — Cicero firmissimam argumentationem defensoris et potentissimam ad judicationem; potentissimam* pro *appositissimam* Bonnellus ex Ambr. I. recepit; apud Ciceronem de inv. I, 14, 19. haec leguntur: *Firmamentum est firmissima argumentatio defensoris et appositissima ad judicationem.* Quum vulgo legeretur *aptissima*, Ernesti ecripsit *appositissima* et ita consensum inter utrumque scriptorem restituit. Idem verbum in simili loco II, 15, 5. sine ulla librorum varietate atque II, 15, 3. legitur, ubi librorum auxilio destitutum, a Regio receptum est. Mirum in modum errat Spaldiogius, qui receptam defendere cooatos, „eam se tueri cootendit Cicerooiana definitione de inv. I, 5. ubi *apposite ad persuasionem, apposite ad sanandum*," praeterea §. 5. conferre jubet, ubi nolla sit varietas. Ex hac complurium locorum comparatione quam caute in his rebus ageodum sit, quam sit necessarium ex suis quemque libris scriptorem et explicari et sanari, satis apparere coofido.

Denique ii quoque loci laudati qui commemorentur digni videntur, qui, quum bis aut saepius repetantur, hic longius a Cicerooe recedunt, illic propius ad eum accedunt, exempli causa

Digitized by Google

V, 10, 99. VIII, 4, 10. sumti ex orat. Philipp. II, 25, 63. IX, 2, 26. IX, 3, 29. ex eadem Philipp. 26, 54. IX, 2, 100. IX, 3, 32. ex orat. p. Mur. 9, 22. atque unumquemque locum per se spectantes etiamsi alterum quidem minus accurate eum citasse concedamus, tamen nihil temere mutabimus.

Cum his ea, quae Quintilianus, quum bene meminisset, certo quodam consilio mutavit, arctissime cohaerent, ut passim utrumque laudandi genus vix dijudicare possimus. Etenim verbum unum vel etiam plura commutantur, collocatio eorum invertitur, aliud adjicitur vel omittitur, vincta et quasi rhythmica oratio tollitur et quae sunt reliqua ejusmodi.

Qua ex parte commemorandum est II, 17, 36. (sumtum e Cic. de orat. II, 7, 30.) ubi, si quid recte video, ut certior et definitior sit sententia, *aliquando* adjectum est. Simili ratione V, 10, 93. *audeam dicere*, (Cic. p. Lig. 10, 30. *non audeam confiteri*) IX, 4, 64. *coeperat esse*, (Cic. p. Cael. 26, 62. *facta erat*). Hac ratione aptissime explicatur IX, 2, 61. *rerum*, quod apud Ciceronem in Verr. II, IV, 3. 5. neque legitur, neque legi potuit. Aptissimum autem hujus generis exemplum videtur esse XI, 1, 19. et XI, 3, 97. *Si quid est ingenii in me, quod.* Initium orationis pro Archia poeta habitae notissimum multo copiosius et ornatius hoc est: *Si quid est in me ingenii, judices, quod.* Quod si id Quintiliani h. l. consilium fuisset, ut, quanta horum verborum vis atque potestas, qui egregius esset decor oratorius, ostenderet, ita nullo verbo mutato ea repetere debuit; quum vero Ciceronis modestiam et verecundiam quandam orationis gratissimam inde elucere voluerit, liberius hanc sententiam reddere ei licebat. Sed optimi libri, in his fere Flor. Turic. Ambr. II. sic ea praebent: *Si, judices, ingenii mei:* quam lectionem Spaldingius probavit. Zumptius maluit scribi: *Si quid est ingenii in me*, argumento usus, quod plane rejiciendum esse ex iis, quae disputavi, patere existimo; dicit enim: „siquidem *quid est* et *judices* tam parum inter se differunt, ut ob eam varietatem locum Ciceronianum et sententiam jam absolutam quadammodo in vulg. pessundare nolim." Quare equidem in optimorum librorum scriptura: *Si, judices, ingenii mei* cum Spaldingio acquiescam.

Quibus praemissis jam ad eos locos nos convertimus, in quibus Quintilianus ipsa Ciceronis verba repetit et repetere voluit: in qua parte eum diligentissime versatum esse videbimus, praecipue ubi non pauca quaedam verba, sed totas immo complures paragraphos repetit: ut aperte videantur falli, qui ei in universum nimiam quandam libertatem vel etiam negligentiam laudandi exprobrant.

Initium autem facimus a loco, in quo diversum ab eo, quo nos utimur, textum ante oculos habuisse eum manifestum est. Etenim I, 5, 61. de grammaticis quibusdam, veterum amatoribus, disserit, qui ne in *a* quidem et *s* literas exire temere masculina graeca nomina recto casu passi sint, idque compluribus exemplis comprobans, apud Ciceronem non *Hermagoras* sed *Hermagora* scribi addit. Quod factum esse in editionibus, ab hominibus ejus generis adornatis, concludere licet ex his verbis *ideoque et* e. q. s. Neque igitur mirabimur, quod apud Ciceronem de inv. I, 6. 9. 11. 51. non hanc formam sed consuetam invenimus neque audiemus Spaldingium, qui totum verborum nexum minus perspiciens, ex ipsius Quintiliani testimonio et auctoritate apud Ciceronem *Hermagora* scribendum esse censuit.

Gratum Socraticae interrogandi rationis exemplum V, 11, 28. 29. e Cicerone (de inv. I, 31.) repetitum, in paucis tantum iisque exiguis rebus discrepat. Ut taceam de verbis *utrumne illius, an*

Digitized by Google

tuum malis, pro quibus apud Ciceronem *illius an tuum malis* vel *utrumne i. a. t. m.* ea, quae sequuntur, apud Ciceronem fere ita ponuntur: *Respondit: Illius vero*, apud Quintilianum: *illius vero respondit.* Quamquam de sententia quidem nihil interest, utrum hoc an illud scribamus, tamen, si alterutrum praecipua codicum auctoritate niti ostendi poterit, hoc sine dubio praeferemus. In optimis libris nonnulla verba exciderunt, in Turic. Alm. Ambr. II. *illius* et *respondit*, in Ambr. I. non solum haec, sed etiam *malis*, legitur autem *vero.* Itaque suspicari licet librarium a priore *illius* statim ad alterum aberrantem ea, quae interposita erant, omisisse scribendumque esse *tuumne an illius malis? Respondit: illius vero;* qui verborum ordo non solum congruit cum eo, quem novissimus Ciceronis interpres R. Klotzius probat, sed etiam per C. Julium Victorem c. VIII, p. 230, 13. adjuvatur.

Non aliter res se habet V, 14, 7—9. qui locus e Ciceronis de inv. I, 34. citatus est. Statim ab initio apud Quintilianum legimus *gubernantur* (Ambr. I. adgubernantur), apud Ciceronem *accurantur;* paullo infra §. 8. *jam porro*, apud illum *aliam porro;* utrumque quidem haud spernendum, quamquam *aliam* magis placet; deinde *eam* post *complexionem* et *ea* post *geruntur* in optimis Quintiliani libris desunt iidemque *conduxit* pro *conduxerit* praebent. Neque tamen quidquam mutandum est; vellem autem Bonnellus tres has paragraphos ita excudendas curasset, ut, quid Quintiliani ipsius esset, quid vero aliunde petitum, statim appareret.

IX, 1, 26—35. laudatum est e Cicer. de orat. III, 52, 201—54, 208. §. 27. in optimis libris legitur *audiant*, quod futuro *audient*, alieno ab hoc loco, ita praeferimus, ut etiam apud Ciceronem scribi malimus; in eadem paragrapho legitur *et ad plus intelligendum*, apud illum *et plus ad intelligendum.* §. 30. *rejectio*, apud Cic. *trajectio*, §. 32. *effrenatior* (Camp. solus *effrenator*), quod post *vox quaedam libera* fere necessarium est; *effrenatio*, quod etiam Klotzius tuetur, vereor, ne sit gravius ideoque etiam apud Ciceronem *effrenatior* equidem malim reponi. Denique §. 33. cur *paulum*, quod Ambr. I. et Turic. commendant, non sit in textum receptum, non intelligo.

Ita etiam in alia longiore particula, quae paucis interjectis incipit a §. 37. et pertinet usque ad §. 45. sumta ea quidem e Cic. orat. 39, 138. 139. perpauca tantum monenda sunt. Merito Bonnellus *non quia* ex optimis libris restituit, sed eodem jure etiam *ornant* scribendum esse videtur, quod Ambr. I. Turic. Flor. praebent. §. 38. *non eadem sententia* omissa praepositione *in*, id quod suadent Ambr. I. II. apud Ciceronem etiam a Klotzio probatum est, praetulerim, cf. Rut. Lup. I, 12. §. 39. Bonnellus ex Ambr. I. et Bamb. qui habet *demontis*, *demotis* pro *demptis*, ubi meo quidem judicio, quum ea vox nimis gravis sit, in recepta utriusque scriptoris lectione acquiescere tutius videtur. Paucis, quae commemorare non attinet, omissis tria adjiciam. Nam §. 42. conjunctivus, ut in sententia suspensa, in vv. *quod dixerit* ex Ambr. II. recte restitutus est, deinde, quemadmodum recte ex Ambr. I. § 44. *videatur* nunc legitur, ita malim in eadem paragrapho ex Ambr. I. II. (uti supra §. 33. *paullum* pro *paululum*) scribi *aliquantum* pro *aliquantulum*, quae etiam Ciceronis haud spernendorum librorum est lectio, denique rectissime a Bonnello verba *si res ante petet* ex Ambr. I. omissa et apud Ciceronem quoque omittenda esse censeo. Nam quum antea dictum sit: „alias dicendi virtutes sequetur", jam hae ipsae enumerantur neque ullus locus est ejusmodi circumscri-

Digitized by Google

ptionibus: suum cuique nomini verbum adjici, neque vero *brevitatem* ex antecedente *sequetur* pendere oportet.

De IX, 3, 56. conferendus est Auct. ad Herennium IV, 25. In verbis quidem: *Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit* nihil est offensionis, ordo autem eorum mihi non prorsus probatur. Gradationis haec, quae referuntur, exempla ita sunt composita, ut singulorum verborum collocationi maximum tribuendum sit momentum multumque, quo quodque loco sit positum, referat: a minore ad majus transitur atque hoc ita fit, ut continua quaedam exoriatur series. Quae quum ita sint, jam is ordo, quem sententia flagitat et Cicero praebet, librariorum incuria perturbatus, restituendus est scribendumque: *Africano industria virtutem* e. q. s. Mecum facit et Rutilius Lupus I, 13. et Aquila de figuris sententiarum et elocutionis c. 40. qui iisdem Demosthenis et Licinii Calvi exemplis usus disserit: „Est autem (ascensus) figura perquam decora, et a Demosthene commendata, in qua postremum quodque verbum, in priore membro, aut parte aliqua elocutionis positum, in posteriorem rursum assumtum injicitur atque ita velut gradibus quibusdam connectitur oratio."

Conjungendum cum hoc loco videtur esse IX, 3, 43. laudatum ex orat. in Verr. II, V, 41, 107. Hic legitur — *quid, inquam, magno opere potuit Cleomenes facere?* apud Quintilianum collocatio verborum alia atque meo judicio minus apta est haec: *Quid, inquam, Cleomenes facere potuit?* Turic. Guelf. Camp. exhibent: *facere Cleomenes potuit?* Atque hanc equidem scripturam in textum recipiendam esse puto, nisi forte Ciceronem sequi malumus. Quod ut possimus scribere, in hoc loco difficillimo et ab interpretibus fere deserto alia mutatione opus est; etenim hunc sententiarum esse nexum arbitror: sensus toti, ut incipiunt, ita clauduntur, exempli causa *Venit ex Asia* — — *venit ex Asia*, quamquam in tertio hujus periodi membro verbi collocatio mutata est, legitur enim: *Veruntamen venit*, itaque ultimum verbum quodammodo ad primum redit; interim sententia repetitur, sed mutato verborum ordine. Jam vero si haec recte disputavi, fieri non potest, quin non solum collocationem verborum, uti supra proposui, mutemus, sed etiam ante *eodem* inseramus *non*, quod facillime poterat excidere. Omisso autem vocabulo *non* totus hic locus languet, quum plane nihil discriminis reperiatur inter hanc et antecedentem sententiam.

Diligenter Quintilianus IX, 3, 98. ubi de figuris oratoriis copiosius agit, Auct. ad Herenn. secutus est, qui IV, 15. de interrogatione, c. 16. de ratiocinatione, c. 23. de subjectione, c. 26. de transitione, c. 27. de *occupatione* disserit. Pro ultimo hoc verbo Spaldingius, id quod apud Quintilianum legitur, *occultatio* scribi maluit. Quamvis habeat *occupatio*, cur displiceat, tamen, num sit mutandum hoc verbum, dubitari potest, praesertim quum haec figura alias non occultatio sed praeteritio appelletur: tutius igitur videtur receptam tueri.

Recte nunc V, 11, 16. quod ex orat. pro Mil. 3, 8. citatum est, nomen *Ahala* e Cicerone restitutum est, non minus recte *aut*, quod nulla librorum auctoritate nititur, deletum: quid judicandum sit de verbis *aut C. Marius*, quae apud illum ante *aut me* leguntur, difficilius est dictu. Memoriter haec esse laudata, quum reliqua consentiant, praecipue quum nomina plane eodem ordine repetantur, aut consulto omissa esse non est probabile: potuisse autem ea librariorum negligentia excidere certe non omni veri specie caret, quum facile saepius repetito verbo *aut* fallerentur. Itaque haud scio an recipienda sint. Paullo post §. 18. complura ex eadem oratione laudantur, quae fere inter se

Digitized by Google

congruunt, neque enim quisquam *potentissimae* pro *sapientissimae* aut *divinae* pro *divina*, quamvis utrumque Ambr. I. praebeat, praeferet.

Ex orat. pro Mur. 13, 29. sumtum est VIII, 3, 79. Quum apud Quintilianum scriptum sit *sic nos videmus*, apud Ciceronem *sic nonnullos videmus*, quamquam hoc multo magis placet, tamen nolim quidquam mutare. Idem judicandum esse existimo de verbo *devertere*, quo hic, atque *devenire*, quo ille utitur, quum utrumque ei, quam flagitamus, sententiae respondeat. In paragrapho ea, quae sequitur, nonnulla ex c. 17, 36. laudantur. Complura rectissime a Bonnello e codicibus restituta sunt, etiam *improvisae*, quamvis paullo audacius sit dictum et Ambr. I. tantum nitatur (neque vero, ut refert Bonnellus, etiam Flor. qui habet *improvise*), certe non displicet, sed praeterea abesse equidem nolim *esse* post *excitata*, quod quidem in Ambr. I. et Turic. deest, in Flor. tamen legitur.

Magna consensio est inter V, 13, 47. atque Cic. p. Cluent. 52, 143; nam praeterquam quod ordo duorum verborum discrepat, apud Ciceronem *adversarios*, apud Quintilianum *adversarium*, apud illum *sed* ante *nimirum* legitur, quod vix puto sincerum esse, praesertim quum facillime ex antecedente *est* nasci potuerit; *istuc*, quod in editione Orelliana legitur, jam video a Klotzio mutatum esse in *istud*. Praeterea ex hac oratione 60, 167. sumtum est IX, 3, 37. Ac primum quidem alacritati hujus descriptionis respondere videtur, ut signo interrogandi post *illo die* etiam apud Ciceronem utamur. Haec ipsa autem verba mirum in modum corrupta sunt. Etenim Turic. et Flor. praebent *veni dandi unde illo die*, Alm. *unde de*, Guelf. *v. d. unde i.* cum Goth. Voss. II. aliisque; *unde*, quod fere praebent codices, scribi non posse manifestum est, idque depravatum esse puto ex eo, quod antecedit, *dandi*. Paullo infra Turic. Flor. Guelf. *quae porro interceptio poculi? porro*, pro quo apud Ciceronem legitur *deinde*, molestum quidem est, propterea quod idem vocabulum proxime antecedit, tamen non dubito, quin retinendum sit.

VIII, 4, 19. et ex parte quidem IX, 2, 51. laudatum est ex orat. in Verr. II, V, 44, 117. in quo hoc tantum videtur notandum esse, quod apud Ciceronem *condemnaretur*, apud Quintilianum *ne securi feriretur* scriptum est. Nam reliqua, quae differunt, admodum levia sunt: *crimina* ante *Metum* in optimis libris deest ideoque jure omittitur, non minore jure *est* post *humanum* adjicitur: ea autem, quam commemoravi, scriptura non videtur esse librarii, suo arbitrio mutantis, sed nescio an ipsius Ciceronis. Neque enim hunc, cujus praeclaram artem toties in eo admiramur, quod gratissima varietate audientium animos delectat, hoc potissimum loco, ubi haec ipsa varietas propter ea, quae sequuntur, plane necessaria est, simplicissimo verbo usurum fuisse arbitror.

Ex eadem actione 56, 145. 146. sumta sunt, quae VIII, 6, 72. leguntur. Displicet in his primum mutata verborum collocatio *quae in iisdem versata locis dicitur* pro *q. i. i. l. v. esse d.* displicet deinde, quod post verba *Versabatur in Sicilia longo intervallo* vox *alter* omissa est. Etenim ea eximia quadam arte, quam Quintilianum latuisse vix mihi persuadeam, adjecta est; nam, ut rectissime monet C. Halmius, Cicero ea ita utitur, ut nomen alicujus hominis cum hoc comparandi adjecturus esse videatur, tum vero, quia non invenit, quod sufficeret, addit *monstrum quoddam novum*. Jam vero Ambr. I. Turic. Flor. eodem loco interponunt *autem*, Alm. *aut*. Neutrum placet, sed quod saepenumero factum esse videmus, ut, quae est gratissima librariorum fides, verbum corruptum

Digitized by Google

retineretur, id etiam h. l. factum esse confido, corruptum autem e v. *alter* idque reponendum esse puto. Simili modo V, 13, 33, quod est sumtum ex orat. p. Cluent. 48, 135, quum post *ipsum enim* Ambr. I. Flor. a. pr. m. Alm. praebeant *genus Egnatium* omisso *enim* (Turic. *genus Enagtium*) id ipsum, quod apud Ciceronem scribitur, ex mendosa codicum lectione restituendum legendumque esse censeo: *ipsum enim C n. Egnatium.*

Sed haec hactenus. Jam vero pauca de C. Julii Victoris arte rhetorica, quae primum ab Angelo Majo Romae MDCCCXXII ex uno Ottoboniano Vaticanae bibliothecae membranaceo codice saeculi XII. edita, a Jo. Casp. Orellio in volumine V. operum M. Tullii Ciceronis repetita est, adjecturus sum. Is enim cum ex aliis scriptoribus, tum e Quintiliano plurima ita laudavit, ut ei non minor, quam codici mscr. fides habenda sit.

Laudantur autem fere haec:

I, 2, 18.	c. XXV.	p. 263. 23—25.
— — 18. 19.	—	p. 263. 41. — 264. 1.
— — 22.	—	p. 263. 22.
— 11, 1—3.	c. XXIV.	p. 260. 17—22.
— — 4.	—	p. 259. 30. 31.
— — 6.	—	— 31—34.
— — 8.	—	— 35. p. 260. 23. 24.
— — 9—11.	—	— 39—44.
— — 11. 12.	—	— 5—7.
II, 4, 6.	c. XXV.	p. 263. 12. 13.
— 5, 7. 8.	c. XVIII.	p. 250. 42—45.
— 7, 1—3.	c. XXIII.	p. 259. 9—15.
— 10, 4.	c. XXV.	p. 264. 4—6.
— 20, 3. 4.	—	— 15—20.
III, 6, 30.	c. III. §. 2.	p. 199. 35. 36.
IV, 1, 5. 6.	c. XV.	p. 242. 32—36.
— — 13. 14.	—	— 36—42.
— — 14—17.	—	p. 242. 40. — p. 243. 7.
— — 20.	—	p. 243. 7. 8.
— — 28. 29.	—	— 16—19.
— — 33. 34.	—	— 26—30.
— — 34. 35.	—	— 34—39.
— — 44.	—	— 19—21.
IV, 1, 49.	c. XV.	p. 243. 22—24.
— — 52.	—	p. 242. 18—20.
— — 54.	—	p. 243. 24—26.
— — 55—58.	—	p. 244. 5—11.
— — 58. 59.	—	— 12—14.
— — 61.	—	— 15.
— — 72—75.	—	p. 242. 23—31.
— 2, 24—27.	c. XVI.	p. 246. 37. — 247. 4.
— — 31.	—	p. 244. 25.
— — 35.	—	— 26. 27.
— — 40.	—	— 27—30.
— — 41.	—	p. 245. 4—7.
— — 43.	—	— 8.
— — 77.	—	p. 246. 11. 12.
— — 100.	c. III. §. 3.	p. 200. 33.
— — 104.	c. XVI.	p. 247. 13—16.
— — 106.	c. XVI.	p. 247. 20.
— — 109. 110.	—	p. 246. 4—7.
— — 116—121.	—	p. 247. 21—36.
— — 132.	—	— 37—40.
— 3, 4—13.	c. XVII.	p. 248. 1—24.
— — 15.	—	p. 249. 15—21.
— 4.	c. XIII.	p. 238. 4—39.
— 5, 4—8.	c. XIV.	p. 239. 4—22.
— — 13—16.	—	— 23—38.

Digitized by Google

IV, 5,	17—22.	c. XIV.	p. 239. 33. — 240. 9.
— —	23.	—	p. 240. 12.
V, 1,	2. 3.	c. VI. §. 7.	p. 226. 4—15.
V, 2. — V, 7, 8.		— §. 8.	p. 226. 16. — 228. 13.
— 7,	33—37.	—	p. 228. 23—40.
— 10,	23—31.	c. VI. §. 1.	p. 218. 5—17.
— —	84.	c. XII.	p. 237. 12.
— —	95—99.	c. VI. §. 6.	p. 225. 18. — 226. 2.
— —	122. 123.	— §. 8.	p. 229. 1—8.
— —	125.	— —	— 10—13.
— 11,	28.	c. VIII.	p. 230. 9—14.
— 13,	22.	c. XV.	p. 243. 30—32.
— 14,	11.	c. VII.	p. 229. 25. 26.
— —	13.	c. IX.	p. 231. 41. — 232. 3.
— —	20—23.	c. XII.	p. 236. 28. — 237. 1.
— —	25.	c. IX.	p. 231. 34—39.
— —	30.	c. X.	p. 233. 4—7.
— —	33.	c. XIV.	p. 241. 22—24.
— —	34. 35.	—	— 34—41.
VII, 1,	5.	c. II.	p. 199. 8—10.
— —	6. 7.	—	— 10—23.
— 2,	13.	c. III. §. 2.	p. 200. 22.
— 4,	7. 8.	— §. 8.	p. 204. 4—8.
— 6,	5.	— §. 14.	p. 207. 11. 12.
— —	6.	— —	— 6—8.
— —	7. 8.	— —	— 12—18.
— 8,	2.	— §. 3.	p. 201. 20—23.
— —	3.	— §. 15.	p. 207. 20—25.
— —	3. 4.	— —	— 26—28.
VII, 8,	4.	c. III. §. 15.	p. 207. 30. 31.
— —	6.	c. VI. §. 4.	p. 221. 27. 28.
— —	7.	{ — —	— 24.
		{ c. III. §. 15.	p. 207. 22.
VIII, 3,	56—58.	c. XXII.	p. 255. 22—30.
— —	64.	—	— 37. 38.
— —	66—73.	—	p. 255. 39. — 256. 28.
— 5,	2—4.	—	p. 256. 28—40.
— —	7. 8.	—	p. 256. 40. — 257. 1.
— —	11—14.	—	p. 257. 1—10.
— 6,	6.	c. XX.	p. 251. 37—39.
— —	15.	—	p. 252. 5.
IX, 2,	65—72.	c. XXI.	p. 253. 32. — 254. 18.
— —	75.	—	p. 254. 19—21.
— —	93. 94.	c. XXII.	p. 255. 4—14.
— 3,	1.	—	— 14—18.
— —	4.	—	— 19—21.
— 4,	37.	c. XX.	p. 252. 32—34.
XI, 2,	36. 37.	c. XXIII.	p. 259. 15—20.
— 3,	6.	c. XXIV.	— 23. 24.
— —	28. 29.	—	p. 260. 24—34.
— —	41. 42.	—	— 35—39.
— —	57—59.	—	p. 261. 22—30.
— —	53.	—	— 32—34.
— —	81.	—	p. 260. 45. — 261. 2.
— —	86. 87.	—	p. 261. 2—12.
— —	104.	—	— 13.
— —	114—116.	—	— 13—22.
XII, 5,	1—4.	c. XXV.	p. 263. 26—41.

Ex hac ipsa enumeratione locorum laudatorum, quanta libertate Victor grassatus fuerit, qui modo hinc modo illinc, quidquid aptum videbatur, ex scriptis Quintiliani decerpebat, nunc eum fide prosecutus, nunc in pauca verba argumentum totarum paragraphorum contrahens, satis patet. Admodum raro, ex quo fonte hauserit, addit, saepissime etiam peculiaria Quintiliani judicia tanquam

Digitized by Google

sua venditat. Quum nonnulli loci veluti c. XXI. de *figuratis*, pars capitis XXII. de *obliquitate* et c. XXIV. de *pronunciatione* fere ad verbum descripti sint, alii, ne dicam plurimi, liberius repetuntur, in quibus verba, quae jam minus usitata erant, aut ex alia qualicunque causa explicatione egere videbantur, cum aliis commutantur, alia omittuntur, alia adjiciuntur. Quae quum ita sint, tamen, quid sit Quintiliani, quid Victori debeatur, plerumque discernere et probabiles adeo egregias nonnullas ejus lectiones in nostrum usum ad Quintilianum explicandum sanandumque convertere licet. Videmus enim libros vel librum, ex quo Victor hausit, optimis adnumerandum esse et ex diligentissima omnium locorum comparatione ejus scripturam maxime cum Ambr. I. Bamb. Flor. Par. I. II. consentire apparet. Complures loci reperiuntur, in quibus solus adhuc veram lectionem exhibet, quam eo minus sequi dubitaverim, quod vel post egregiam vv. dd. curam atque diligentiam multis et gravibus vitiis laborare nunc quoque Quintilianum mihi persuasum est. Quid? quod etiam complures conjecturae, quae quin admodum probabiles essent, vix quisquam dubitavit, primum per Victorem comprobatae atque confirmatae sunt? Etenim Regii, qui V, 3, 1. pro *vulgarium* *vulgantium* scripsit, Obrechti et Spaldingii V, 7, 35. ubi Regius pro *contra partis divinationem* conjecit *partem divinationis*, quem secuti Gryphius *parteis divinationis*, denique Obrechtus *partes divinationis* scripserunt, Spaldingius praeterea pro *contra* suspicatus est *circa* (quod etiam Par. I. comprobat) denique ejusdem Spaldingii, qui XI, 3, 28. pro *alas* vel *alis* vel *aliis* maluit scribi *alias*. His liceat adjicere *elato* V, 14, 33. quod pro *lato* a me (Z. f. A. W. 1856. p. 126.) propositum, nunc demum eadem auctoritate commendari cognovi.

Quare etiam ob hanc rem Bonnello maxima laus tribuenda est, qui primus haud paucis locis ex Victore fere solo verum restituit. Sic rectissime virum doctissimum judicasse censeo IV, 4, 3. ubi Ambr. I. et Victorem potissimum secutus, apud quem legitur: *Nonnunquam valde utilis est propositio, ubi*, scripsit: *Nonnunquam vero valde utilis est, ubi.*

Non minus autem probandum est, quod Bonnellus ex eodem IV, 3, 5. *spiritu* delevit, IV, 3, 15. *omnis amplificatio*, *minutio* scripsit, quum *minutio* non solum Bamb. et Lassb. aperte comprobetur, sed etiam Guelf. commendari videatur, qui praebet *in initio*. Laudanda etiam mutata verborum collocatio V, 5, 2. atque rectissime IX, 2, 69. *hoc*, IX, 2, 94. *ut* ante *nescio quid illud* inseruit, IX, 3, 1. *omnes* delevit, XI, 3, 59. *quisquam* retinuit. Neque spernendum videtur, quod VIII, 3, 67. *et* ante *urbium* addidit, deinde quod XI, 3, 87. *supplicant* post *inhibent* delevit, denique difficiliorem locum XI, 3, 115. ita constituit, uti praeter bonos libros mscr. etiam Victor commendat.

Minus autem viro doctissimo assentio, quod IV, 3, 5. hunc et deteriores quosdam codices secutus scripsit: *Nihil enim tam est consequens, quam narrationi probatio, nisi excursus ille vel quasi finis narrationis vel quasi initium probationis est.* Equidem, quum in Turic. Flor. scriptum sit: *nisi excursus ille vel quasi initium*, in Ambr. I. autem haec lacuna ita expleatur, ut legatur *nisi excursus ille vel egressio quasi initium*, in hac praestantissimi codicis lectione acquiescendum esse censeo.

V, 14, 22. ex libris Quintiliani, qui maxime inter se differunt, nihil aliud scribi posse

existimo, quam id, quod jam Regius eruit: *Connexio aut vera e. q. s.* neque ulla mutandi causa evadere videtur.

Neque ea, quae v. d. V, 14, 30. VIII, 3, 70. VIII, 5, 2. IX, 2, 93. XI, 3, 86. secundem Victorem mutavit, mihi persuasit, in his igitur locis eam, quae Quintiliani libris commendatur, lectionem praefero, praeterquam quod VIII, 5, 2. pro *crebra crebrae* scribi idque referri malim ad sententias, id quod verbis, quae paullo post sequuntur, his: „Ideoque mihi et de generibus *earum* et de usu arbitror pauca dicenda“ comprobari videtur. Utrum denique XI, 3, 104. scribendum sit *demonstrare aliquid* an *demonstrare aliquem* in medio reliuquam.

Sunt etiam alii pauci quidam loci, quos equidem e Victoris auctoritate restituendos esse existimo. Ac primum quidem IV, 5, 14. magnopere offendit quod, quum reliquorum verborum futuro utatur scriptor, semel perfecto usus est atque scripsit *putavit.* Operam autem perditurum esse censeo, si quis hoc defendere conatus acriter, cur ita potissimum dixerit, comprobare voluerit. Etenim plane aliena est a Quintiliano haec in rebus parvis inanis subtilitas. Quare id, quod necessarium est et facillime restitui potest, insuper autem apud Victorem invenitur, *putabit*, recipiendum videtur.

Ex optimorum librorum auctoritate Bonnellus V, 6, 3. scripsit: — *cum etiam philosophi quidam sint reperti, qui deos agere rerum humanarum curam negant*, quum antea legeretur atque etiam apud Victorem legatur *negarent.* Non autem h. l. suam quandam opinionem Quintilianus in medium profert, sed, ad quod orator provocare possit, explicat: plane igitur hoc e mente atque sententia alius cujuslibet dictum est. Ob hanc causam equidem *negant* minus probo, sed scribendum esse censeo *negent.* Idem statuendum videtur esse II, 16, 2. ubi scribi malim *valeat.*

Suo jure Spaldingius V, 10, 123. quum explicaverit verba *ipsa res* et „locorum singulorum excussionem“ intelligendam esse dixerit, ea „parum definite posita“ sibi displicere addit atque suspicatur scribendum esse: *haec ipsa res.* Simplicior atque meo judicio verisimilior sanandi ratio ea est, quam Victor c. VI. §. 8. p. 229. 8. indicat, ubi ita scribitur: *Infinitam enim et inutilem faciat ista res dicendi tarditatem.* Hoc idem verbum *ista* etiam apud Quintilianum longe mihi praeferendum videtur.

Paullo difficiliorem existimo quaestionem esse VII, 8, 2. in his verbis: *Sit enim lex: Venefica capite puniatur. Saepe secubanti amatorium dedit* e. q. s. Etenim haec verba plane intelligi non possunt, conjectura potius, quid iis voluerit explicare Quintilianus, consequendum est: deest subjectum verbi *dedit*, neque, quae sit persona intelligenda in verbo *secubanti*, adjicitur: ut facile suspiceris, pauca verba incuria librariorum excidisse. Haec autem ab eodem Victore servata esse arbitror, apud quem c. III. §. 3. p. 201. 20. *saepe se verberanti* (scribendum est *secubanti*) *marito uxor amatorium dedit;* atque ita apud Quintilianum quoque scribendum est. Causa corruptelae in similitudine verborum *marito* (quod fortasse etiam depravatum erat in *matori*) et *amatorium* posita est, qua facile effici poterat, ut librarius ab altero ad alterum aberraret, ea autem, quae interposita erant, omitteret.

Facilius quidem atque tutius erat Quintiliano duce et auctore permultos, qui adhuc exstant, locos corruptos C. Julii Victoris et invenire et sanare. Quodsi alienum est ab hoc loco diligentius in

Digitized by Google

eam rem inquirere, tamen ea, quae in lectitando et conferendo hoc scriptore mihi occurrerunt, adjiciam, ita autem, ut in plerisque modo, quemadmodum secundum Quintilianum meo quidem judicio scribendum sit, indicem. Legendum igitur:

c. III. §. 3. p. 201. 20. *ut, saepe secubanti marito*
— §. 14. p. 207. 14. *Aut quum ex ipsis legis verbis argumentamur*
c. VI. §. 6. p. 225. 24. *si miles, si infans sit;*
— §. 8. p. 227. 2. *credulitas incrementum afferat;*
— — — 21. *aut vita se tuebitur,*
— — — 22. *in qua plus fidei consequetur,*
— — — 37. *atque id agi, ut in causa, in qua vincere non possit, queri possit.*

Similiter Baiterus p. 226. 31. *querendum* pro *quaerendum* proposuit.

c. XIII. p. 238. 10. *haec, sicut exposui, gesta sunt,*
c. XV. p. 242. 18. *quid et apud quem*
c. XVI. p. 247. 26. *nec vero in eundem casum, similem compositionem,*
c. XXI. p. 254. 18. *Quaedam etiam quae*
c. XXII. p. 255. 19. *velut asperso quodam condimento.*
— — 20. *ipsam illam gratiam varietatis amittit.*
c. XXIV. p. 260. 37. *Ita imus vim non habet,*
— p. 261. 24. *Quid vero movendis affectibus contrarium magis,* quam quum [dolendum
— — 27. *fori sanctitatem*
c. XXV. p. 264. 6. *in quarum exercitationem reperta est.*

Saepius apud Victorem verba quaedam exciderunt, quae si ex Quintiliano addiderimus, certe proxime ad verum accedemus. Itaque scribendum videtur:

c. VI. §. 8. p. 228. 5. *inimicum contra inimicum*
c. XV. p. 243. 23. *scire se mirari quosdam, quod*
c. XVIII. p. 250. 43. *quanta in dividendo prudentia,*
c. XXI. p. 254. 7. *si non ex verbis dubiis et quasi duplicibus petantur,*
c. XXII. p. 256. 27. *ea, quae sint obscura, demonstrare.*

Major etiam lacuna est c. III. §. 14. p. 207. 12. quam Orellius ita explere conatus est: *ut in hac lege: capitis rei vinciantur,* equidem ipsis Quintiliani verbis utendum scribendumque esse censeo: *Liberi parentes alant aut vinciantur; non enim* c. q. s.


Delendum vero est e Cicerone et Quintiliano verbum *publica* c. VI. §. 6. p. 225. 32.

Denique in tribus locis conjectura verum restituere conatus sum, etenim c. I. p. 197. 8. scribendum videtur: *apud se omnium, quae prosint causae quaeque obsint, habita ratione* pro *alta ratione,* deinde c. III. §. 2. p. 199. 38. *Status hic temporum est; nam quaeritur an fecerit, an faciat, an facturus sit,* ubi scriptum est *faciet,* postremo c. XVI. p. 246. 11. id quod jam notavi ad Quintilianum IV, 2, 77. (Z. f. A. W. 1856. p. 126.) *luxuriam liberalitatis nomine* pro *hilaritatis.*

583224
Digitized by Google

Digitized by Google





by Google